









Facto Auspicio Jesu Tuente

DISSERTATIONEM PHYSICAM

De

V I S U

Benevolo Inclytæ Facultatis  
Philosophicæ

Indultu

*In Illustri Academia Lipsiensi*

publicè ac placidè examinandam proponunt

P R A E S E S

M. FRIDR. AUGUST. JANUS,

Tychopol. Holfatus, S. S. Theol. Cultor.

&

Respondens

WOLFGANG Ruffner / Camentio-Lusat.

S. S. Theol. & Philos. Studios.

XVIII. Calend. Maj. Anno Ær. Christ.

M. DC. LXIX.

H. L. Q. C.

L I P S I Æ

Typis JOHANNIS GEORGI,





V I R O  
Admodum Reverendo, Amplissimo & Excel-  
lentissimo

**DN. PAULO HOFFMANNO,**  
S.S. Theol. Lic. Ecclesiae Torgensis Pastori & Su-  
perintendenti, nec non Capituli Wurzensis  
Praeposito, &c.

V I R O  
Nobilissimo, Amplissimo, & Excellentissimo  
**DN. PAULO SCHROETERO,**  
Med. Lic. Reipublicae Torgensis Praetori, & Phy-  
sico ibid. ordinario.

V I R O  
Spectatissimo & Prudentissimo  
**DN. GEORGIO GANZLANDO,**  
Reipublicae Torgensis Praetori, &c.

V I R O  
Eximio & Industrio  
**DN. PAULO HERMANNO,**  
Civi ac Mercatori Torgensi Primario  
Dominis, Patronis, Promotoribus & Amicis suis, omni ob-  
servantia colendis,  
**Hoc Exercitium Academicum**

D. D. C.

M. F. A. J.





F. A. I. T.

## Præloqvium.

**Q**uanquam infiniti fuerint naturæ indagatores, qui de Visu exteriorum sensuum præstantissimo, satis doctè, satis accuratè scripserint; Nihilominus tamen, impræsentiarum aliquid de eadem materiâ congerere, doctiorumq; manibus atq; oculis, humillimo tamen animo, offerre, mihi quoq; placuit. Non quidem, ac si novi quiddam, & ante hæc inauditum, circa eundem sensum, proponere & explicare gestirem; Illud namq; utut facere conarer, à meâ tenuitate obtinere ipse nequeo. Sed potius, quoniam mira, celebris, difficilis, quam tamen difficultatem iucunditas condit, & fermè tollit, ejus cognitio est, nullus dubitavi, motus præterea, isto, nescio cujus effato: *ἔρεϊς καὶ ἔρεϊς τὰ καλὰ* aliorum Eruditorum scriptis, hanc meam quoq; de Visu, rapsodiam subjungere. Accedit alia mei instituti ratio. Volui scilicet, defectum Naturæ, arte supplere, atq; cum Natura, hæc in re, mihi sanè injusta noverca, acutiorem & accuratiorem denegârit Visum, aliunde, quod impetrare non potui, mihi comparare. Posuimus autem huic nostræ Disputationi certos limites, extra quos evagare impeditur. Omnis namq; res, duobus absolvetur Capitibus, quorum quodlibet suas continet Sectiones. Benevole Lector, benevolis oculis nostrum Visum perlustrabis, & si fortè Visum nostrum in Visu, aliquid subterfugerit, imbecillitati oculorum mentis id adscribes, nobisq; facilem dabis veniam. Tu autem, qui omnia intueris, respice nos, aciemq; mentis, adjuva, quò intelligere ac videre possimus, quæ videnda & intelligenda erunt. Sit itaq;



# CAP. I.

## Exhibens Vifus Onomatologiam.

### SECT. I.

#### DE Etymologia Vifus.

##### I.

Circa Originem, quam sibi vendicat vocabulum Vifus, nulla prorsus sese offert difficultas.

§. 2. Derivatur enim à verbo Video. Quod deducitur ab ἴδω. Scio vel video.

§. 3. Hoc testatur *Macrobius, Lib. 1. Saturn: Cap. XV. p. 323.* quando ita loquitur: Quod Græci ἴδω dicunt, nos, V. litera additâ, videre dicimus.

§. 4. Optimè locutum esse Macrobiū, in *Etymologico Lat: lingvæ p. 556.* fatetur *Vossius*: Nam inquit, non asper solum Spiritus (ut in ἑσπερα Vespera; ἑνετος Venetus, aliisque;) Sed interdum tenuis spiritus mutatur in V. ut ἰταλός: Vitalus, οἶνον Vinum. ἦρ Ver &c. Cujus rei testem citat *p. 561. Terentiani Mauri. caput de syllabis.* Et hæc de Etymologia.

### SECT. II.

#### De Homonymia.

##### §. I.

Vifus varias, pro diversitate respectus, quem ad subjecta, quibus adscribitur, habet, agnoscit significationes. *vid Scheibl. Part. 2. De Anima sent. Disp. 4. De Visu p. 187.*

§. 2. Refertur (1.) ad Intellectum. Et est, quando mentis acie Objectum intelligibile satis acutè & intelligenter perspicimus, ac dijudicamus. *Zab. lib. 1. De Visu cap. 1. p. 855. 856.* Unde dicere consuevimus, ait *Mendoza Disp. 17. De Anima & speciatim de potentiis sensitivis Sect. 2. de Visu & Visibili p. 676.* aliquid videre, quando ita certo cognoscimus, ut non possit esse error: præcipuosq; mentis actus Visionem appellamus.

§. 3. Atq; hoc pacto menti atq; Intellectui oculi quoq; qui alias non nisi sensus exterioris organa sunt, attribuuntur. In quam rem præclare *Divinus Plato, quando lib. XXV. De Amore p. 438.* maturitatem



tatem consilii & sanitatem iis adscribit, quæ multorum festorum Jovis glandes comederunt; senioribus videlicet præ junioribus. Ejus verba hæc sunt: Tunc sanè mentis oculus, acutè incipit cernere, cum primum corporis oculus deflorescit.

§. 4. Ino, Philo Judeus, cujus lib. de mundi opific. citant Conimbr. in Comm. in lib. 2. Arist. de Anima. cap. 7. qv. 6. Art. 1. p. 236. in aliquo tertio ipsam mentem cum oculis convenire, apertè pronunciat: Quod, inquit, mens in animo est, id oculus in corpore. Videt enim uterq;. Altera intelligibiles res: alter sensibiles. Visus mentis, ad noscenda incorporea. Oculi ad contemplationem corporum faciunt.

§. 5. Huc respexit Merfennus, quando in Comm. in Gen. Cap. 1. vers. 1. p. 159. Intellectui, non quidem oculos Visumq; concedit, verum eosdem cum Intellectu confert, his verbis: Quidam oculos cum ipso Intellectu conferunt. Ut enim hic rerum ideas, absq; materia contagione suscipit; Sic illi speciebus intentionalibus, quæ sunt veluti spirituales, tantummodo afficiuntur. Ut Intellectus simul duo contraria comprehendit, & verum à falso distingvit; Ita oculi eodem instanti nigrum & album dijudicant, seu accuratius loquendo, percipiunt; adeo ut ex unius contrarii perceptione, non impediatur à perfectà cognitione alterius.

§. 6. Juxta hanc Intellectus Visionem, cæci nonnunquam meliùs videre oculatis, seu iis, quibus integra videndi quod ad sensum attinet, facultas est, dici possunt.

§. 7. Hoc, ut alia taceam Exempla, cum singillatim omnia recensere, & longum & ab instituto nostro alienum foret, egregium comprobatur. Exemplum, quod cum lectu jucundum sit, consultò ex Cass. Schotti Phys. Cur. lib. 3. Cap. 33. p. 567. adducam: Vixit Agrigenti aliquis, Naturâ cæcus, aureos fermè quingentos habens, de quibus valdè sollicitus, statuit eos in agro defodere. Defodientem vero vicinus conspexit, eoq; abeunte pecuniam abstulit. Cum vero paucis diebus pecuniam reviseret cæcus, neq; inveniret, animo angebatur, discruciabatur, exedebatur, neq; alium conjectabat, nisi vicinum compatrem, surripere potuisse. Accessit itaq; ad illum, atq; dixit esse, quod consulere eum oporteat. Tenere se aureos mille, quorum partem dimidiam abstrusisset jam in tuto loco; De-



reliqua autem dimidia anxium esse, utpote cœcum, & rerum perquam incommodum custodem. Propterea si ei quoque visum fuerit, hoc reliquum in eodem loco illo tuto quidem trudi & abscondi posse. Compater approbavit consilium, & properè præcurrit, quingentosque aureos, unde nuper effoderat, recondit, ratus, totos mille sibi nequaquam defuturos. Posthæc cœcus in agrum recurrit, repertaque pecuniâ exclamavit, cœcum oculato melius vidisse, lætusque rediit.

§. 8. Competere dicitur (2.) sensibus Interioribus, ut quando phantasia, rerum absentium imagines ita repræsentat animo, ut eas cernere oculis, & præsentem habere videamur. Has visiones Græci *Phantasias* vocant. *Decim. in Thes. p. 1439.* Et plerumque nobis in somno eveniunt, ubi quis interdum videt id, quod eodem modo quo apparuerat, postmodum evenit *Macrob. lib. 1. in Somn. Scip. cap. 3. p. 27.*

§. 9. Propter dignitatem & certitudinem sensus, extensum quoque est hoc nomen (3.) secundum usum loquentium, ad omnium cognitionem aliorum sensuum. Dicimus enim; Vide quid sonat? Cum sonus tamen ad auditum non ad Visum pertineat. Ita quoque vide, quomodo sapit, vel quomodo redolet, vel quomodo est calidum? *T. aquinas. Vol. 1. P. 1. qu. 67. Art. 1. p. 489.*

§. 10. Tandem (4.) assignatur oculo atque tunc est ipsa videndi potentia, & sensus Exterior, visibilia, mediante oculo, per medium actu perspicuum, percipiens atque contemplanans. Atque in hoc sensu nos vocabulum Visus, in hoc negotio, intellectum volumus.

§. 11. Obiter notari meretur, quod Visus nonnunquam pro Visu & Spectro ponatur. Sic dicimus: subito & acerbo visu defixi tremefacti, turbati. Ciceroni sumitur pro specie. *Teste Decim: in Thes. p. 1439.* quam quoque significationem hinc removemus.

### SECT. III.

#### De Synonymia.

Vocatur aliàs potentia videndi, actus visionis, videndi Sensus. Græcis dicitur *ὄψις* Hebr. *עין* Gallic. *Vevê*, le sens de voir. Ital. Il vedere. Germ. *das Gesicht*. Atque hæc de Onomatologia sufficiant. Sequitur

Cap.



## C A P. II.

### Exhibens Pragmatologiam.

#### SECT. I.

#### De Definitione Visûs.

##### §. I.

**D**efinimus autem Visum hunc in modum: Visus est sensus exterior, qui omne visibile, per medium actu illuminatum, median-  
tibus oculis, percipit, quò homines, coeli præprimis fabricam  
contemplantes, in primi opificis cognitionem devenire, ipsiq; cum  
brutis animantibus, ruinas quoq; & foveas, aliaq;, quæ noxia sunt,  
effugere & evitare, è contra salutaria & proficua, sibi acquirere  
& comparare possint.

§. 2. Hæc Definitio propriè sic dicta, & Essentialis est. Con-  
stat enim Genere proximo, differentiâ Specificâ & Fine.

§. 3. Genus proximum est sensus exterior. Differentia Speci-  
fica sumitur 1. Ab Objecto, quod est omne visibile. 2. A medio,  
per quod. Et est corpus actu perspicuum seu illuminatum. 3. Ab  
Instrumento quo. Oculis scil. 4. A modo visionis, qui per Tò per-  
cipere quodammodo indigitur. Tandem subsequitur finis, qui  
duplex est. Alter principalis & summus, nempe cognitio DEI, in-  
visibilis conditoris visibilium. Alter minus principalis & interme-  
dius videlicet salutarium acquisitio & noxiorum evitatio. Ille spe-  
ctat ad hominem, ut homo est: Hic ad eundem pertinet, ut est, ani-  
mal. *Keck. in Syst. Phys. p. 204. 219. 466. Probl. 21.*

#### SECT. II.

#### De proximo Visûs Genere.

##### §. I.

**G**enus proximum Visus statuimus Sensum Exteriorem. Constat  
enim ex Physicorum scriptis, Sensus distingvi in Internos &  
Externos.

§. 2. Sensus Interni sunt, qui species rerum sensibilium, non  
solum præsentis, sed & absentes percipiunt, censent, dijudicant, &  
diutius conservant. Numerantur vulgo tres: Sensus communis,  
Phantasia & memoria.

##### §. 3.



§. 3. Sensus Externi sunt, qui in exteriori corporis parte resident & res externas presentes comprehendunt. Eorum quinque numerantur: Visus, Auditus, Olfactus, Gustus, & Tactus. Quorum tres priores commoditatis: Duo postremi necessitatis sunt.

§. 4. Nos in hac nostra Disputatione agimus, non de Internis non de omnibus & singulis Sensibus Externis, sed de Visu, cum Sensuum Exteriorum præstantissimus sit, cujus Genus dedimus, quod sit Sensus exterior.

### SECT. III. De Visus Objecto.

#### §. I.

**A**dæquatum Visus Objectum, est τὸ ὄρατόν visibile, id est, quicquid sub aspectum nostrum cadit, seu ut Optici loquuntur, quod continuatis radiis, successivè, per medium sui speciem diffundit. *Rod. Gocl. Disp. Phys. 18. §. 10. p. 484.*

§. 2. Dantur autem tria visibilium Genera. Quædam enim in lumine tantum conspiciuntur, ut: Rerum colores. Quædam & interdum seu in luce & noctu seu in tenebris videntur, ut: Ignis & ignita omnia. Quædam pari ratione, (quæ de causâ etiam à *Fr. Eustachio in 3. Part. Phys. Tract. 3. De Anima Sent. Sect. 2. de Visu quest. 4. p. 228.* ad lumen referuntur) & de die & de nocte cernuntur. De die sub ratione coloris: De nocte propter congenitum lumen. Et sunt ἀνάγνα, proprio & uno communi nomine carentia ut Noctiluca, qualia sunt: squamæ piscium, ligna cariosa, oculi quorundam animalium e. g. Felium, luporum, murium. Item Cicindelæ Cocosus Hispaniolæ & id genus alia.

§. 3. Ad Objectum itaque Visus immediatum & adæquatum, pertinet tum Color, tum Lumen, tum Noctiluca, non nisi noctu lucentia. Ille nuncupatur à Physicis Objectum ortum seu secundarium: Lumen vero & Noctiluca dicuntur Objectum primum seu primarium Visus. *Keck. in Syst. Phys. p. 212. 213.* De quolibet seorsim.

§. 4. Circa Colorum contemplationem, infinitæ aliàs nobis sese offerunt difficultates, ut illud *Scalig. Exerc. 325. p. 1029.* optimo jure nostrum quoque facere possimus. Coloris scilicet Essentias atque Causas, tam controversas esse, atque obscuras, ut sunt ipsi Visui manifesti.

§. 5.



§. 5. Quum autem bonam Methodum neutiqvam observasse dicitur is, qui controversiarum quaslibet, nulla urgente necessitate suas facit, in præfenti quoque negotio ea sequestrabimus, quæ huc pertinere non videntur.

§. 6. In antecessum tamen præmonere operæpretium esse existimavimus colorem trifariam sumi; Vel *γενικός* pro omni visibili. hoc laxiori scilicet significato, sumitur ab *Arist. in lib. de Sens. & Sensibili cap. 1. p. 1429.* dum ait: omnia corpora colore participare; quia omnia corpora, aut colore, aut luce, aut utroque imbuta sunt. Quam coloris acceptionem, pari ratione intendunt ii Philosophorum, qui colorem adæquatam Visus Objectum esse, statuunt. Vel *εἰδικός* atque precise, prout scilicet à luce distinguitur. Atque ita quidem, modo virtualiter, prout noctu; vel in profunditate corporis latet, neque videri potest, modo pro colore actu movente Visum, accipitur. *Conimbr. in lib. 2. Arist. de Anim. Cap. 7. quæst. 2. Art. 2. p. 222. Danhauer Disp. 3. Cont. 2. Scheibl. P. 2. De An. Sent. Disp. 4. De Visu & Vis. §. 33. p. 197. 198.*

§. 7. Deinde probe est observandum, quod *Keckerm. in Syst. Phys. Cap. 4. lib. 3. p. 156.* quando de Colore, prout est affectio orta corporis mixti, agit annotavit. Ita enim ille: Color in Physicis dupliciter spectatur 1. Absolute quatenus est proprietas corporis mixti, atque adeo Effectus quidam Elementorum inter se mixtorum atque contemperatorum. 2. Relative quatenus est Objectum Visus seu quod incurrit in Oculos.

§. 8. His præmissis, dicimus nos agere de Colore, actu tali, eoque non quidem absolute, nullo habito respectu ad Visum, & quatenus color est, considerato, verum relative spectato, quatenus est Objectum Visus atque in sensum incurrit.

§. 9. Amplectimur itaque cum aliis, eam coloris Definitionem quam *Arist. lib. de Sens. & sens. c. 3. p. 1433.* tradidit, dicendo: Color est extremitas perspicui in corpore terminato.

§. 10. Quæ Definitio, non à priori, sed à posteriori, cum melius sentiamus, quam sciamus colorem. *D. Scherz. in Brev. Eust. p. 436.* desumpta, quæ tam ad institutum nostrum, teste *Goel. Disp. 17. lib. 6. p. 481.* & aliorum, sufficiens est, est coloris, non absolute considerato, uti quidem vult *Zab. lib. 1. de Visu cap. 2. p. 858.* sed relate accepti.

B

§. II.



§. 11. Falsum enim est, ait Scheibl: P. 2. de An. Sent. Diss. 4. de Visu §. 36. p. 198. Colorem absolute consideratum, esse tantum in extremitate perspicui terminati. Est igitur color qualitas, in toto suo corpore, non in solâ superficie, sed etiam intra soliditatem corporis, ita, ut dissecto pomo vel Castanea, non primum generetur color, sed præextiterit. Vid. Scalig. Exerc. 75. S. 7. p. 274.

§. 12. Quando autem in Definitione dicitur, quod sit extremitas, id non cum Pythagora, ejusq; sectatoribus, qui colorem corporis superficiem vocarunt. Plutarch. de plac. Philos. l. 1. c. XV. p. 335. ita est intelligendum, ac si ipsa sit superficies, cui sua debetur quantitas. Scheibl. d. l. p. 199. Jacchans in Inst. Phys. cap. 12. p. 237. sed per extremitatē significatur ἐπιφάνεια & quædam apparitio in superficie.

§. 13. Et, si quis propriissimam proprietatem ipsius quantitatis coloris adscriberet, adeoq; sententiam Pythagoræ, defendere conaretur, distingueremus inter divisibilitatem rei per se seu primario, & per Accidens seu secundario. Et diceremus, divisibilitatē competere coloris, non nisi mediante corpore, cui inharere dicitur. Conimbr. in. lib. 2. Arist. de An. Cap. 7. qu. 11. p. 220. 222.

§. 14. Contrarium sentit Joh. Grammaticus in contextu 66. secundi libri de Anima, quem Zab. lib. 1. de Visu Cap. 2. p. 864. citat. Ille enim in profundo quoq; colorem, eumq; actu visibilem, esse statuit. Idq; deducit exinde, quia in electro, aliis succinis videtur animalculum aut etiam folium, fortè fortuna illapsum, atq; intrinsecus concretum. Sic etiam videmus nummi, aut alterius corporis, in aquam projecti, quoniam in ipsius vasis, aquam continentis, colorem, qui tamen non in superficie sed in profundo existit. Verum, quæ ad hæc respondeamus, reperire haud erit difficile. Color namq;, qui in profunditate Electri aliusq; pellucidi corporis cernitur, non Electri, sed inclusi animalis est, in cujus superficie s. extremitate hæret, demumq; ad Visum per partem circumstantem corpus coloratum, quæ medii vices sustinet, defertur. Ita quoq; color existens in superficie nummi, aut asseris, transit ad oculos, per infusam aquam tanquam perspicuum medium. Rectè itaq; color definitur per extremitatem, quicquid in contrarium afferat Timplerus in Phys. Gener. Cap. 7. qu. 5. p. 108.

§. 15. Differentia sumitur à Determinatione coloris ad perspicuum



cum terminatum. Hoc ab indeterminato differt in eo, quod illud æquè lumen ac visum transmittat: Hoc vero eadem sistat ac finiat. Quando itaq; perspicuum interminatum densatur atq; in crassatur, amissam perspicuitatem excipit color, qui corporis occupat superficiem.

§. 16. Ubi illud quoq; ex *Enstachij III. Part. Phys. Tract. III. de Anima Sent. quest. 4. p. 231.* observes velim, per To esse in superficie perspicui terminati, respectum haberi ad distinctionem coloris à luce. Distinguntur enim ab invicem, quod ille licet in toto corpore, nec in solâ superficie sit, nihilominus in superficie duntaxat videatur: Hæc verò non in superficie modo, sed in intimis partibus præsertim mediis, sit ad spectabilis.

§. 17. Unde illa quoq; Platoniorum sententia erit evitanda, quâ statuitur, colorem nihil aliud esse, quam in superficie corporis receptum lumen, adeò quidem, ut, si desinat lumen, desinat & color: appulsu vero luminis, colores demum effici, & è potentiâ materiæ qf. educi, ut juxta hos optimè, in eandem quoq; sententiam cecinerit Poeta:

Rebus nox abstulit atra colorem.

Vid. hujus sententiæ Patronos *Platonem in Timæo. p. 722. Aliosq; quorum catalogum texunt Conimbric. l. c. p. 220.*

§. 18. Argumenta quibus suam probare conantur sententiam videri possunt, apud Autores à *Con. & Scheibl.* citatos, quorum nomina cum ratiociniis, quibus innituntur, consultò apponere nolimus.

§. 19. Eadem autem originem suam trahunt, ex falsis Hypothesibus, dum existimant, eandem esse veri & apparentis coloris conditionem; Accessum coloris ad lucem, formalem importare ταύτοτητα; dumq; internam cum externâ confundunt forma.

§. 20. Nos contrarium cum aliis statuentes, dicimus colores apparentes, qui pro variâ luminis reflexione & Objecti dispositione, variè se Visui repræsentant, à lumine non distingvi. Veros tamen cum suam originem, ne utiq; uti illi debeant lumini, sed aliam sui habeant causam, ab eodem distingvi.

§. 21. Deinde, quosdam è veris coloribus, propius quidem accedere ad lucem multumq; nonnunquam de eadem participare concedimus; Verùm proinde non statim concludendum, eandem ipsorum ac lucis esse Naturam.



*Animal. lib. 3. Cap. 11. p. 393.* ubi Autorum nomina recenset, recentiorum intellige, qui novis rationibus defenderunt lumen corpus esse.

§. 29. Nos de hac, ut & de aliis quaestionibus, quas circa considerationem lucis & luminis movent, e. g. Quæ ipsius sint proprietates? Quæ propagatio? &c. agere non tenemur. Eas itaq; ad unum omnes, sicco, quod ajunt, pede, præterimus.

§. 30. Ultimum, inter Objecta Visûs, locum assignabamus anonymis illis, quorum fulgor de die, propter præsentiam majoris luminis, delitescit atq; coloris speciem induit. De nocte vero conspicitur, omnemq;, qui interdiu videbatur, colorem occultat. Cujus Generis; innumeræ ferme dantur species, quas recensere supersedemus.

§. 31. Atq; hæc dixisse sufficiant de Visûs Objecto, Colore Lumine & Noctilucis, quorum unumquodq;, mediantibus speciebus, quas versus omnem medii partem diffundit, visum movet, atq; organum afficit. Constituimus itaq;

#### SECT. IV.

#### De Organo Visûs.

##### §. I.

Visus Organum est vel remotum, ut Oculus. Vel proximum, ut: Tunica retiformis.

§. 2. Oculus, Pretiosissima corporis pars, cujus titulos honorarios persequitur *Mers. in Comm. in Gen. Cap. 1. Vers. 1. p. 159. 160.* in admirationem sui animos nostros, pertrahere facile potest. Gaudet enim figura omnium perfectissima, utpote rotunda, unde Objecta tam immania percipere, Objecta infinita cito cursu perlustrare, facile potest. Quod admiratur *Mers. d. l. p. 182.* Fatentur *Mendoza Disp. 17. §. 9. p. 676. Keckerm. lib. 3. Syst. Phys. p. 214. It. p. 465. Toletus p. 85.* qui Perspectivorum quoq; subjungit propositionem: Oculum quantitati percipiendæ non sufficere, si rotundus non esset. *Goel. in Disp. Phys. p. 591.*

§. 3. Situm quoque obtinent convenientissimum; in suprema corporis parte, quæ caput est. Quod quidam, teste *Keckerm. l. c.* vel oculorum gratia, in sublime positum esse contendunt. Exinde tanquam è speculâ & editiori templo, res, è longinquo existentes,



probè cognoscit & videt. Quam naturæ providentiam magis commendat positus oculorum, non in vertice capitis; Sic enim ab injuria cœli & impudentia pulveris, parum tuti essent. Sed in faciei solidissimâ parte; in fronte videlicet, duriori osse oculorum orbes muniente.

§. 3. Ad quæ munimenta palpepræ quoque sunt referendæ. Ambiunt namque, in cavernosis suis sedibus, latentes speculatores, & lanceariorum partes sustinent, defendendo illos ab incurSIONIBUS pulicum, aliarumque bestiolarum. Impediunt quoque influxum sudoris è capite defluentis, oculosque corrumpentis. Platonici, qui ab oculis radios promicare volunt, persuasissimum est, easdem visum dirigere spiritum. Nos illa pilorum nigricie lumen egregiè fovendi atque temperari, sentimus cum *Cælio Rodigino. qui lib. 3. Cap. 27. Lect. antiq. p. 149.* quoque advertit, hosce pilos nunquam ferè justo plus increfcere, ne inde præpediatur visus. Mirâ Naturæ providentia!

§. 4. Neque fortè fortuna accidisse existimandum est, quod gemini nobis concessi sint oculi. Hoc pacto enim, unâ sensiterii parte amissâ, altera incolumis supererit. Adde; melius ita atque feliciter, quæ in utroque latere sita sunt, videri posse. *Conimbr. in Probl. p. 673.*

§. 5. Hæc omnia scitè & eleganter effert *Lactantius, lib. de Opif. DEI p. 849.* his verbis: DEUS oculorum orbes concavis foraminibus conclusit, à quo foratu frontem nominatam. Varro existimavit. Et eos neque minus, neque amplius, quam duos esse voluit, quod ad speciem nullus esset perfectior numerus, quam duorum.

§. 6. Temperamentum oculi est excessu aqueum, ne scilicet imagines rerum objectarum, vel malè reciperentur, vel pejus aservarentur, si igneum esset. Id ipsum quoque comprobatur experientia. Oculus namque læsus, largissimè aquas profundit; In fœtu recens formato, humorem splendens demum sequitur oculorum fabricatio s. efformatio. Tandem pinguedo albuginis oculorum in animantibus sanguineis, persistere diutius & durare nequiret, ubi igni prædominium in oculis esset tribuendum. Quibus argumentis ipse *Arist. in lib. de Sensu & Sens. p. 1431.* utitur. *Vid. Zab. lib. 1. de Visu Cap. 8. p. 874. Keck. in Syst. Phys. p. 214. It. in Probl. p. 465. Bachm. qu. 85. Cent.*



*Cent. 1. qvi partim igneum, partim aqueum, oculi temperamentum esse, statuit. Hipp. lib. 1. de Nat. p. 79. Gocl. Disp. Phys. lib. 6. Disp. 15. p. 474. Mag. in Psychol lib. 6. Cap. 7. p. 529. 533. 534.*

§. 7. Quæ huic sententiæ opponuntur, nihil aliud probant, quam oculos ignis participes esse, atq; lumen aliquod licet exiguum, continere, quod nos ambabus largimur.

§. 8. Quod v. celeritatem visûs ab igneâ vi provenire dicunt, nobis nihil derogat, qvi eandem lubricitatî adscribimus, ad- eoqve, quid reponant, non videmus. Poëtis, quod obiter ex *Coel. Rhod. Antiqu. Lect. lib. 3. cap. 28. p. 150.* addo, à celeritate oculi dicuntur faciles.

§. 9. Nunc oculi structuram atq; miram exponeremus fabricam, nisi metueremus, ne Zab. idem, quod de Galeno, de nobis quoque ferat iudicium, nos scilicet nescivisse artem Medicam à Naturali Philosophiâ distingvere. *Zab. lib. 1. de Visu p. 874.* Cui assentitur *Tol. in lib. 2. de Anima cap. 7. p. 84.* his verbis: Oculi compositio ad Philosophiæ partem non attinet; Pertinent namque quæ præterea circa oculum occurrunt, præcipuè quod partes Integrantes concernit, ad Anatomem, quam evolve.

§. 10. Nihilominus tamen, quando ad *ὄργανον* s. princeps Visûs Organum deveniendum erit, obiter saltem, tanqv. aliud agentes, oculi fabricam, ex cominuni sententia describemus, Medicis suas reliquentes Controversias.

§. II. Constat oculus septem, aut sex, juxta recentissimos: musculis motoribus, quinque; tunicis, tribus humoribus & nervo Optico. Musculi dati sunt ad motum, quo globus circumferatur, è quibus unus sursum, alter deorsum; hic dextrorsum; ille sinistrorsum movet. Alii duo circumferunt globum; septimus sustinet & illigat, aut etiam omittitur à nonnullis. *Vide Dn. Rolf. Dissertation! Anatom. p. 512.* Ex tunicis intima dicitur specularis, quod ut speculum niteat; & etiam ob subtilitatem, tunica aranea: Secunda, huic proxima reticularis dicitur, quia venulis multis & arteriis in-texta, retis exhibet effigiem. Tertia dicitur uvea, quia similis est uvæ folliculo. Quarta dicitur cornea, quæ refert cornu in laminas tenuissimas sectum. Quinta vocatur adnata s. adhærescens, quia ejus beneficio oculus proximis ossibus adhærescit. Ex humo-  
ribus



ribus intimus dicitur chryſtallinus, ſ. glacialis, quod chryſtallum, ſ. glaciem ſua pelluciditate imitetur, etſi aliquantulum mollis ſit. Huic proximus à parte poſteriori, humor vitreus ſ. albugineus, ovi albo perſimilis; à parte v. anteriori tertius, qui dicitur aqueus, ab aquæ ſimilitudine. Deniq; nervus Opticus à cerebro proficiſcens, deſinit in tunicam retiformem, dupliciq; membranâ induitur. Internâ tenui, ex qua ortum habet tunica uvea; Et externa durâ, ex quâ oritur tunica cornea. *Mendoza de Anim. Diſp. XVII. Sect. 2. §. 10. p. 676. Oviedo de An. Contr. 4. Punct. 1. §. 1. p. 49. Fr. Eustach. 3. Part. Phyf. Tract. 3. de An. Sent. qu. 8. p. 235. Ubi Oculi cum ſuis partibus pictura quoque videri poteſt.*

§. 12. Cognitis hiſ oculi integrantibus partibus, quænam proximum Viſus Organum ſit, inquirendum erit.

§. 13. Ubi varias Autorum de loco Viſionis ſententias præmittemus. Quidam n. Viſum referunt ad Tunicas; quidam ad Humores; quidam ad Nervum Opticum.

§. 14. Viſivam potentiam in nervis Opticis ponunt: *Avicenna lib. 6. Natural. referente Cælio lib. 14. cap. 20. p. 771. Cornel. lib. 1. Perſpect. cap. 3. concl. 6. & Vitell. lib. 3. Theor. 4. & 20. quos citant Conimbr. in lib. 2. de An. Cap. 7. qu. 7. Art. 2. p. 247. quos ſecuti ſunt Alb. Magnus & Thomas, cæteriſq; Latini, referente Marcell. Donat. in Hiſt. Med. mirab. p. 192.*

§. 15. Quod aſſertum probare conantur, duobus potiffimum Argumentis: Primò: Quia natura nulla alia de cauſſa, Nervos Opticos, diviſim à cerebro procedentes, conjunxit, niſi ut in iſta combinatione & conjunctione peragaretur viſio, ſpeciebus ſcil. in unum copulatis. Secundò: Quia Objecta nobis deberent gemina & duplicata apparere, niſi aſpectus fieret in congressu nervi Optici. Unde fit, quod iis, quibus contingit nervos viſorios, invicem non congregi, nec mutuo ſe ſecare, ſivè id à Cauſſa extrinſecâ ſive intrinſecâ proveniat, quæ ſimplicia ſunt, ut duplicata objiciantur, ſicque res conſpectæ geminæ appareant.

§. 16. Verum respondemus ad primum: Scenicam ſaltem & apparentem proferri conjunctionis cauſſam, non veram. Ideò enim congressum ipſorum voluit natura, quò, altero oculo clauſo, aut omninò mutilo, ſpiritus, qui à cerebro ad utrumque oculum profi-



proficiuntur, in superstitem commēare possint, atqve adeo visoria facultate eo modo duplicatā visus nihilominus acutior reddatur. Ad secundum respondeo: 1. per Instantiam. Senti simplices deberent duplicari: cum duo nervi, à quibus auditiva facultas constituitur, omninò sejuncti sint. Aut oportet dari etiam ante cerebrum aliquem nervum, in quo species audibiles hinc inde in unum copularentur. Quod tamen nemo concedet. 2. Alia dari potest ratio, cur unicum Objectum non appareat geminum, quando nempe geminis conspicitur oculis; Videlicet iudicium de sensibilibus, non fieri in sensoriis, verum in cerebro s. à sensu communi. Hic unam rem sensibilem, utroq; oculo apprehensam, non geminam d. unam iudicat. *Keck. lib. 3. Syst. Phys. cap. 20. p. 214. It. Disp. 15. Probl. 24. p. 467. Conimbr. in Probl. de Visu. Sect. 1. Probl. 33. p. 679. qvi ex Opticis hujus quoq; reddunt rationem. Ut & Alst. in Opt. p. 1502. Gocl. in Disp. Phys. Disp. 2. lib. 7. p. 581. Mag. d. l. p. 534. Eustach. p. 235. simplicis visionis binorum oculorum causam refert ad species intentionales, in utroq; oculo receptas, ad tantum aptas idem numero Objectum repræsentare. Taceo, licet concedatur, visionem fieri in coalitū loco, nihilominus species deferri ad cerebrum divisas, cum rursus iidem nervi dirimantur, & ad cerebrum progrediantur divisim. Exemplis prolatis eorum, qvi propter nervum Opticum, nullibi congregientem, omnia duplicata viderent, exempla opono. Videmus enim, ait *Don. Marcellus lib. 2. Hist. Med. mirab. Cap. 8. p. 194.* nonnullos visorios nervos sejunctos ac separatos habere, nullibiq; coeuntes, qvi tamen res objectas unicas, nequaquam duplices intuentur. Cujus rei testem citat *Vesalium lib. 4. Hum. Corp. fab. c. 4. quem inspicit. Oviedo Contr. 4. P. 1. De potentiis Ext. §. 1. p. 49.* Neque in hoc, de diviso Neruo Optico, acquiescit, quod namq; causa sit duplicatæ Visionis. Cur n. idem non eveniret omnibus, quorum tamen oculus dexter, adeoq; pars ista, quæ proximum Visus organum, constituit, à sinistro distat? Nisi cum *Joh. Bapt. Porta* dicere velimus, hominem uno tantum oculo videre. Cujus errores illum arguit *Alst. in Opt. p. 1502.**

§. 17. Superfunt adhuc aliæ rationes, quas *M. Sperl. in Disp. de Visu hab. Witteb. 1650.* adducit. 1. Nervi sunt Naturæ terrestris, E. non possunt esse sensorium potentia visivæ. 2. Nervi sunt colo-

C

re



re infecti. E. Aliàs enim omnia sub colore intus existente appa-  
rent.

§. 18. Qui ad humores referunt, duplicis sunt Generis. Alii  
namq; ad humorem vitreum, docente *Tal. d. l. p. 84.* Alii ad hu-  
morem ChrySTALLINUM declinant.

§. 19. Quibus innitantur Argumentis, vitrei humoris Pa-  
troni, eequidem non potui invenire, fortasse in ipso Disputationis  
conflictu occurrent. Juvat tamen motivam *Peirescij*, mediam in-  
ter antiquiorem & recentiorem sententiam amplectenti, (quam  
postmodum palinodiam cecinerit,) ex *Gassendi Vitam Peirescij*  
*describens lib. 5. p. 172.* referre. Quippe cum dignum existimaret,  
facultatem Visus, suo munere fungi, circiter medium oculi, ac in eo  
loco, unde rei imaginem in suo situ spectare posset, idcirco hunc  
locum ei designaverat intra humorem vitreum, quâ parte radii, ipsa-  
rum rerum, trajecti per ChrySTALLINUM, & reflexi ex retinâ, in unum  
quasi centrum coirent. Ratus a. ChrySTALLINUM suâ convexitate  
invertere imaginem, suspicatus fuerat, retinam suâ concavitate ean-  
dem restituere: Quare & debere facultatem in ejus concavitate  
centro residere, unde imaginem è retina reflexam restitutamq; atq;  
adeò rem in suo situ naturali contempleretur. Hæc ille.

§. 20. Pro ChrySTALLINO strenuè militant, infiniti propemo-  
dum, quorum nomina singulatim exponere, improbi esset laboris.

§. 21. Sufficiet eorum adduxisse Argumenta quibus moti huic  
sententiæ subscripsere. Ea a. sunt, qui a. (1.) Hæc pars oculi  
fit maximè lucida, conspicua, atque nullo colore infecta. (2.) Præ-  
cipuum obtineat locum. (3.) Eidem reliquæ partes deserviant.  
*Oviedo l. c. p. 49.* Unde *Gal. de Usu part. cap. 6. quem cit. Conimbr. d. l.*  
*p. 242.* docet, reliquas oculi partes, hujusce humoris gratia, sive ut  
contineant, sive ut alant, fuisse conditas. Ipsum quoq; humorem,  
in ipso oculi centro situm, idcirco dici oculi animam. *Keck. d. l. p.*  
*466. Probl. 14.* Scopum reliquorum humorum. *Alst. in Opt. p. 1490.*  
*Don. Marc. d. l. p. 195.* (4.) Addit rationem, quando dicit, frustra  
naturam ad ChrySTALLO idem demandare spiritus, si non in ipso fie-  
ret visio. *Scheibl. d. l. p. 194. Jacchaus p. 241.*

§. 22. Verùm hæ rationes ex parte non probant, quod pro-  
bare



bare debent; ex parte v. alii partium integrantium oculi applicari commodè possunt, uti paullo post videbimus.

§. 23. Sequuntur Tunicae, ad quas pari pacto actum visionis relegant. Sunt qui ad Araneam; Sunt qui ad Retiformem tunicam.

§. 24. Ad araneam quidem, quum (1.) eadem læsa, auferatur visio. *Tol. p. 84.* (2.) ChrySTALLINUS humor sui muneris efficaciam omnem, uni Araneali tunicae debeat. Quod ex Aquapendente & Aquilonio deducit Hippolitus Obicius *in Ep. ad Fort. Lic. Vid. per Epist. Fort. Lic. T. 2. Cap. 26. p. 125. & seqq.*

§. 25. Ast hæc quoque sententia obtinere non potest. Quia læsione Tunicae Araneae, simul læduntur vicinae partes. e. g. Humor ChrySTALLINUS; Atque hanc corruptionem plurimarum partium, postmodum insequitur læsio quoque VISUS. Quod v. secundo probationis loco proferebatur ab Hippolito Obicio, ad id responsum dedit per *Epist. Fort. Lic. d. l. p. 128.* quò benevolum Lectorem remitto.

§. 26. Nos, cum Neotericis, statuimus Visionis Organum proprium esse Tunicam Retiformem s. retinam. Idque prægnantibus de causis. Enimvero (1.) In ea, utpote in oculi fundo sita, species ac imagines, per diaphanam media trajectam, optimè recipi contineri; valent. (2.) Est summè tersa, tenuis, atque excolor. (3.) Spiritus visorii deferuntur per Opticum, ut retinam animent & visionem promoveant. (4.) Species visibiles in tunicam retiformi, non secus, ac, respectu speculi, in argento vivo sistuntur.

§. 27. Ubi tamen observa nos non in eam versari opinionem, veluti reliquæ oculi partes, planè nihil conferant ad actum visionis sed suum cuique tribuimus; Complementum tamen visionis, in retina fieri asserimus.

§. 28. Plura de VISUS Organo addere supervacaneum erit. Quæ enim circumferuntur opiniones, quod cerebrum nativum & genuinum visionis *αἰσθητήριον* sit, non tam locum, in quo peragitur videndi actio, quam ubi iudicium de rebus visis fiat, concernunt.

§. 29. Pergimus itaque, cum sensibile supra sensorium positum, sensationem non efficiat, ad Medium, quod facit

## SECT. V.

### De Medio.

C 2

§. I.



**M**edium, per quod visio fieri debet, nihil aliud est, quam perspicuum, quod est quidem visibile, non est autem per se, sed per alienam colorem visibile, uti ipse quoque Arist. lib. 2. de An. c. 7. p. 1389. definit.

§. 2. In hanc Arist. Defn. notant *Conimbr. d. l. p. 217.* Perspicuum bifariam sumi. Uno modo, pro quolibet corpore transparenti. Alio modo, pro corpore, quod lumine participat, nec tamen, propter admixtam densitatem, translucidum est. Illud vocant perspicuum indefinitum seu interminatum: Hoc definitum seu terminatum. Indefinitum denuò in id, quod suo, & in id quod alieno lumine lucet, distinguunt. Jam dicendum, defini h. l. non perspicuum terminatum, sed interminatum. Idque non proprio, vel profus nullo, sed adventitio lumine gaudens. Quid per alienam colorem intelligant Autores, observavit *Tol. d. l. p. 82.*

§. 3. *Mendoza de An. Disp. 17. §. 12.* definit, quod sit corpus luce penetratum seu secundum se totum luce perfusum. (Intellige alienam). Ubi materiam perspicui esse corpus tenue, adeoque facile penetrabile: Formam v. lumen innuit. Cum enim aerem sine lumine spectamus, quid est, præter horridum & emortuum corpus, cui, cum lux restituitur, mirum est, quam gratus sit, quam utilis, quam pulcher. *Mers. in Gen. Cap. 1. Vers. 3. p. 757.*

§. 4. Ex his facile colligere quivis poterit, medium, ut per illud Objectum visibile cerni possit, non debere esse vacuum. Contra Democritum, dicentem, nos sidera longè clarius visuros, si inter nos & cælum, nullum corpus medium foret interjectum. Quin imò formicam nos, aut muscam, in cælo hærentem, contemplaturos, si in vacuo & per vacuum fieret visio. Quem vide refutatam à *Keck. d. l. p. 206. 218. 465. Probl. 9. Tol. d. l. p. 83. Bachm. qu. 76. Cent. 2. Gocl. p. 485. Mag. p. 535.*

§. 5. Ubi enim visio fieri debet, necessè est, ut visibile Objectum, speciem sui, per medium ad oculum usque transmittat, quod fieri non potest, nisi actu sit, illuminatum. Qua de causa non sufficit, ad esse medium, adesse lumen, sed requiritur, ut lumen insit medio.

§. 6. Quamquam non desunt, qui huic sententiæ adversentur, atque lumen tantum ex parte Objecti, non v. medii quoque, ad visionem

nem



nem peragenda[m] necessarium esse dicant, ut: *Mendoza d. l. p. 676.*  
*677. Arriaga Disp. 5. Sect. 3. Oviedo de An. Cont. 4. Punct. 1. n. 6. 7. p. 50.*  
*Scheibl. d. l. p. 209. &c.*

§. 7. Argumentantur enim ita: Si (1.) In tenebris constituti res  
in loco illustrato existentes possumus videre (2.) Felium oculos, nec  
non ignes è longissimo spatio ortos, aliaq; noctiluca, noctu in den-  
sissimis tenebris videmus (3.) In obscurissimis puteis; stellas interdiu  
videmus, sequitur lumen in medio existens, potius impedire,  
quam juvare visionem, Atq; vi experientia prius verum esse probat. E.

§. 8. Respondet *Zab. d. l. p. 882.* Objecta illa, ab oculo in te-  
nebris existente; Visa, totum illuminare aerem, ad oculum usq; vi-  
dentis. Excipis: Ita necesse est, ut alia quoq; appareant circumstan-  
tia corpora. Resp. Lumen illud, quod emittunt, sufficere saltem  
pro ipsorum visione, non vero aliorum corporum. Majus enim  
requireretur lumen, cum difficilius sit, producere species, quam  
multiplicare. *Tol. d. l. p. 85. 87.* Quia aliam quoq; suppeditat respon-  
sionem: sic enim ille: sive Objectum, sive oculus suum in tenebris  
obtineat locum, & aliud sit in lumine, nihilominus medium, quam-  
vis non perfecte, illustratur. Quod autem ab oculo è loco tenebri-  
coso prospiciente, non nisi illustratum conspici possit. Objectum,  
causae est, quod magis illuminatum obfuscet minus. *vid. Otton. Casm.*  
*Psychol. P. 2. p. 720. sequentibus.* In datis tamen responsionibus *Men-*  
*doza & Oviedo*, acquiescere non volunt. ut ex *Danh. in Coll. Psych.*  
*Disp. 3.* qui proprie lumen requirit tantum ratione Objecti, per Ac-  
cidens vero lumine etiam medium illustrari asserit.

§. 9. Nobis nihilominus, non planè nullae esse, datae, respon-  
siones videntur. Iisdem quoq; uti possumus, si quis exempla eorum,  
qui ex perrecti de nocte, omnia videre potuerunt, nobis opponat.  
Ut enim noctiluca proximum & circumfusum aerem illustrant ut se-  
potissimum vindicent à tenebris: Ita nyctalopes singularem quan-  
dam habent vim, illustrandi medium & objectum, ad visionem per-  
agenda[m].

§. 10. His ita stantibus, falsum erit, quod *Plin. lib. 28. Hist. nat.*  
*Cap. 8. p. 35.* scribit, lyncis videlicet tantum visus esse perspicaciam,  
ut etiam ferrum penetret. Falsum quoq; erit, quod de hominibus,  
quos *Zaories* vocant, circumferunt, illos namq; res, in profundo



terræ existentes, speculari. Nisi id ipsum velimus cum Danh. & Coniunbr. internæ vi æstimatoriæ vel hominis discursui adscribere.

§. 11. Præterea observandum quoque erit, perspicua in duplici esse Differentia. Alia n. sunt simplicia, inter quæ maximè idoneum visionis medium, aer est. Alia solida & composita, quæ, quo magis tenuia sunt, eò felicius species visibiles transmittunt.

§. 12. Atque hoc pacto Medium quoque visionis emensi sumus. Nunc ad modum, quo Visio fiat, nos accingemus. Is proponitur in

## SECT. VI.

### De Modo Visionis.

§. 1.

SI qua, circa hanc præsertim, de Visu, doctrinam, inter Philosophos, longis abhinc seculis, agitata fuit Controversia, certè hæc, quo modo Visio fiat, est. Quod haud obscurum esse poterit, legenti absolutissimam istam, de modo Visionis Disputationem, quam Witteb. Anno 1640. habuit B. Sperling.

§. 2. Quando enim Eruditorum Virorum scripta perlustramus, quantum ab invicem distent, facile reperimus. Unde A. Gell. lib. 5. noct. att. Cap. 16. p. 349. aliorum quidem recenset sententias: propriam v. proferre noluit. Nos, brevitati studentes, quæ huc spectabunt, brevibus subjiciemus.

§. 3. Tres potissimum de modo Visionis extant sententiæ: quidam enim Visionem fieri per receptionem & emissionem, quidam per emissionem solam; quidam per receptionem solam, arbitrantur.

§. 4. Qui priorem amplectuntur sententiam, existimant, radium visivum, tam ab Objecto visibili, quam oculo videntis proficisci in medio copulari, & ita demum ad oculum redire.

§. 5. Qui mutuum amplexus vocari solet *συνάγεια* s. cor-radiatio, & a. Platone in *Timæo* lib. 32. p. 712. hunc in modum describitur: Cum diurnum lumen applicat se visus radio, tunc ea duo inter se similia concurrentia atque commixta, quo oculorum diriguntur acies, ibi in unius jam domestici corporis coherent speciem, ubicunque videlicet tam Interni, quam Externi luminis fit concursus. Totum v. hoc, ob similitudinem, eandem sortitum passionem,



nem, cum quippiam aliud tangit, vel ipsum ab alio tangitur, motum huiusmodi ad omne corpus, perque id, ad animam usque diffundens, sensum efficit, qui visus vocatur. Plures, qui huic subscripserunt, vide citatos à Barthol. de Luce Animal. lib. 3. cap. 11. p. 389. qui unà cum Marcello Donato eandem fovet sententiam.

§. 6. Verum, hunc utriusque luminis occursum, ingeniosius quidem esse inventum, aut solido carere fundamento, quis non videt? Cur n. id Natura, quod per pauca posset per plura perageret? Cur certum congressus locum determinare nequeunt?

§. 7. Transeo ad Emissarios, qui vel radium, vel lumen, ab oculo emitti, defendunt. Cui opinioni similis est illa, quæ putat, mentem esse, quæ immediatè videt pro oculos, tanquam per fenestras, intro perlucens. Ut sensit Lact. lib. 5. De Opif. DEI. p. 551.

§. 8. Argumenta, quibus in probandâ hâc suâ sententiâ, de radio, ab oculo per medium, in objectam rem incidente, qui pari angulo resiliens, in obtutum referatur utuntur, hæc sunt 1. Quia nulla alia ratio est, cur quando nebuloso aere sumus circumfusi, nebulam quæ propè nos est, non videamus distantem vero videamus nisi, quia radii ab oculis emissi, vicinam penetrare valent, viribus nondum consumptis; longius vero progressi, idem præstare nequeunt, longo itinere defatigati. Quare qui vicinus est aer nebulosus, vices medii; remotior vero Objecti visibilis sustinet. 2. Res imposita oculo non videtur, propterea quod radii non possint effluere, suoque fungi officio. 3. Oculi diuturno Visu debilitantur, ideoque aliquid ex oculis egrediatur necesse est. 4. Rem accuratè contemplaturi, oculos contrahimus, quò radii eò copiosiores foras erumpant. 5. Si autem ut confortentur, adhibemus conspiciilla. 6. Antiphieron Oretanus, in aere semper se propriam imaginem contemplari putavit; quia radios visorios habuit minus efficaces. 7. Fixæ Stellæ scintillant, quia in tanta distantia radii tremuli sunt, & à ventis, atque tot interjectis corporibus, disturbantur. 8. Per radios visorios Pafiliscus & Catoblepa interficit mulier menstruosa polluit speculum; striges seu lamiaë fascinant pusiones; & lupus prior videns hominem raucedinem efficit. Oportet igitur aliquem radium exire ex oculo. 9. O corpus radiat E. & oculus. Accedit tandem 10. Ipsius Arist. autoritas, qui lib. 3. Meteor. c. 2. p. 792. Disputaturus de Iride Parelio, Halone



Halone & Virgis, passim supponit Visum in illis refrangi, Et simile de speculo adducit, quorum alia colore & figurâ alienâ conspiciuntur; alia solo colore. In qua sententia perseverat, quando eodem lib. Meteor. cap. 4. p. 794. affectionis Antiphontis causam redditurus, oculorum aciem in illum ipsum reflexam innuit, quandoquidem ex morbo & infirmitate sic debilis, & tenuis valde erat. Et cap. eod. ait, habentes oculos humidos, videre iridem circa candelâ flante Austro, quoniam illorum aspectus, præ imbecillitate celeriter refrangitur. Adde locum *de l. 2. de Coelo cap. 8. t. 48. p. 638.* Ubi tradit visum in cœlum ferri, ob elongationem Visus sidera tremere. Eandem opinionem non semel in *Problemat.* approbasse videtur. *viil. Probl. Sect. 31. Probl. 11. 15. 16. p. 1023. 1024.* Quod autem lumen ab oculo in medium proficiscatur planum reddere conantur, quia feles noctuæ, vespertiones, &c. Imo hominum nonnulli, ut Tiberius Cæsar, Cardanus, uterq; Scaliger, de nocte possunt videre, sine ulla radiorum receptione. E. emittunt radium luminosum.

§. 9. Ad quæ, ne à veritatis tramite nos obducant, respondendum erit 1. Causam visionis nebulae remotæ, non esse langvorem, radii emissi, sed crassescentiam, ut ita loquar, medii, spissis ac densis vaporibus referti. 2. Res nimis admota oculo videri nequit, non quod impediatur effluxus radii, sed quia lumen in tali approximatione sensiterii & Objecti, suam pangere officium, illuminando scilicet seu medium seu objectum, prohibetur. 3. Oculi assiduo cuiusdam rei intuitu, corrumpuntur, non propter turmas radiorum visivorum, sedes domesticas relinquentium, sed propter nimiam spirituum animalium consumptionem. 4. Contractio ista oculi, fit, non ut lumen exinde exprimatur, sed ut intermedia lux, visui se ingerens, eandemq; perturbans, arceatur. Inde acutius aliquid intuituri, manu umbram facimus. 5. Perspicilla adhibentur, non ut radii juventur & promoveantur, sed ut species visibiles alliciantur, visuiq; propiores reddantur. Excipiunt enim imagines rei objectæ; iustar speculorum quod experiri licet, ubi id ipsum applicaveris denso corpori. Videbis enim in eo tuam imaginem, non secus ac in speculo. 6. Quod autem Antiphron Oretanus, perhibetur propriam imaginem ante se vidisse, nullo modo imbecillitati Visus est imputandû. Quamquam id Arist. non ex suo, sed Platonis dogmate pronun-



pronunciaverit. Omnis enim culpa hujus vitii redundat, uti ipse quoque Arist. testatur lib. de Mem. & remin. cap. 1. p. 1453. in læsam & depravatam imaginationem, quæ plurima, abs se ficta, pro factis & rebus gestis, aliis obtrudere vult. Cui tamen placet, istud Symptoma Antipherontis, ad intemperiem oculi referre, prætermisissis radiis, dicere poterit, effluxisse ab oculis humorem quendam, proximum aerem condensantem, qui, formâ nubeculæ indutâ, instar speculi, receptam redderet imaginem, miramq; istam sui ipsius contemplationem efficeret. 7. Tremor iste stellarum fixarum, malè propter radiorum dissipationem accidere dicitur. Rectius v. propter medii variam dispositionem, quam efficiunt intermedia corpora, e. g. Aer crassior, halitus, vapores, nubes. His enim hinc inde motis, species visibiles simul q̄. moventur, atq; stellas fixas, ut trementes, repræsentant. Perinde enim est, ac si moveri putes corpus in aquam projectum, propter perturbationem radiorum, quum tamen mota aqua, quæ medium s. perspicuum tunc absolvit, in causa est. 8. De Basilisco, Catoblepa, muliere cui menstrua fluunt, lamiis & lupo sic habeto. Non lædunt intuitu, sed contactu, afflatu, halitu, aspiratione. De lupis illud, aut vanum est, aut, si quid est, ex terrore potius, quam solo aspectu, provenire cum Keckerm. crediderim. Obiter hic ex Borelli Obs. Phys. Med. Cent. 3. Obs. 1. p. 193. adduco, quæ huic responsioni officere posse videtur. Sic enim ille. D. LE FAUCHEUR Vir insignis pietatis & probitatis, & Ecclesiæ Garentoniensis Pastor, sanctioris ararii Tribunum sæpissimè vidit Lutetiæ, cujus oculorum acies tanta est, ut conspicienda sua paulatim perforaret, adeò, ut ea sæpè mutare & renovare cogatur. Idemq; audivi à sene mihi cognito; Et non dubito idem multis contingere, si observaretur. Hactenus ille. Nos, quanquam hinc noxios afflatus, pro causa perforatrice vitra, venditare non possumus; Possimus tamen ad dignum admiratione Effectum, ad singularem quandam causam referre, quam ab aliis expecto, & me pro tempore ignorare fateor. Ne autem ἐπιπομπὴν admittere cogar, respondeo, à singulari ad universale non valere Consequentiam. 9. Verum quidem est, omne corpus Naturale radiare; sed ut videatur, non ut videat. Radiare enim in doctrina de Visu, non

D

signifi-



significat emittere radios visorios, verum diffundere sui speciem visibilem, quâ mediante videri possit Objectum. 10. Ad auctoritatem Arist. in Resp. 6. responsum est. Quod ad locum è l. 2. de Cælo attinet, in propatulo est, ipsum nihil certè ibi de eâ re statuerre voluisse, cum particula ἴσως fortè, dubitationem involvat; certitudinem haud admittat. Experientia Cætorum, qui sine ullâ radiorum receptione de nocte videre dicuntur, mihi quidem nihil aliud probare videtur, quam egressionem luminis qualiscunq; ex oculis ipsorum, quod facile concedere possumus. Requiritur n. ad illustrationem mediæ & Objecti. Non autem à lumine emissio, ad radium visivum, valet processus, cum diversissima sint.

§. 10. Tandem pervenimus ad eos, qui receptione visionem fieri docent. Atq; hi conveniunt quidem in re, discrepant tamen in modo rei. Democritus & Leucippus existimant, recipi exuvias quasdam crassiores, & simulachra corporea in oculum. Aristoteles vero & universa Peripateticorum Schola, cui nos quoq; nomina nostra dedimus, Visionem per solam specierum Visibilium receptionem, fieri asserunt.

§. 11. Illi pro receptione corporum militant, hoc præsertim Argumento: Excellens visibile lædit Visum. Captivi enim Dionysii Tyranni, ex infimo carcere, in domum splendidissimam, calcem illitam, adducti occæcantur. Milites Xenophontis per multam nivem iter facientes, oculis læduntur. Fixis oculis solem intuentes, cæcutiunt. E. Simulacra, quæ intra oculum recipiuntur, erunt corporea. Nuda enim species, qui potest aliud destruere? Resp. Excellens visibile lædit visum non per se, sed ex Accidente, videlicet ratione aliarum qualitatum, quæ ipsas species Excellentis visibilis comitantur, & ab Objecto unâ trajiciuntur.

§. 12. Nos contra sic concludimus. Si Visio fit recipiendo exuvias corporum, sequitur 1. Dari corporum penetrationem 2. Visionem fieri in tempore. 3. Res videri non in proprio loco, sed in oculo. 4. Recipi magnitudinem montis in parvâ pupillâ 5. Rem unam ab uno saltem posse videri, idq; non sine destructione Objecti. 6. Videre contemplatorem sui imaginis posteriorem sui partem, non priorem. 7. Dissiparentur exuvie antequam pervenirent



rent ad oculum. Et id genus alia. Quæ omnia partim impossibilia; partim contra experientiam sunt.

§. 13. Quare nostram confirmamus sententiam, quæ statui-  
mus, Visionem fieri, solâ receptione specierum visibilium. Ubi ta-  
men non sollicitus ero, De specierum visibilium Existencia & Es-  
sentia, de quibus vide sis *Viri pl. Rev. atq; Excell. Dni. Joh. Olearij, S.S.*  
*Theol. Licent. Prof. hujus Academiae longè celeberrimi Disputationem hab.*  
*Lips. 1660.*

§. 14. Prob. autem 1. Omnis sensio est passio, E. & Visus  
Omne autem quod patitur, in se aliquid recipiat, necesse est. 2. Sen-  
satio debet fieri sensorio, E. Sensorium in se aliquid debet recipere. 3.  
Speculum artificiale in se recipit objectam imaginem. E. & oculus  
qui est speculum naturale. 4. Visibile excellens lædit Visum E. ad-  
fit contactus. 5. Non fit per emissionem; ratio 1. quia impossibile  
est, aliquid ex oculo, egredi posse, quod se extendat usq; ad cœlum  
stellasq; 2. in qualibet distantia eandem objecti magnitudinem  
non apprehendimus, cum juxta experientiam, propiora, ut majo-  
ra, conspiciamus remotioribus. 3. Videremus de die, ut solem,  
ita & reliquas stellas, quas tamen non videmus. E. fit receptione,  
cum alius, quo fieri possit, non detur modus.

§. 15. Tandem ad ultimam, quæ finem Visus ostendet, atq;  
coronidum nostræ Disputationi imponet, pervenimus Sectionem,  
videlicet.

## SECT. VII. & Ult.

### De Fine Visionis.

§. 1.

**F**inis, utri omnium rerum, ita & Visus, duplex est. Alter Gene-  
ralis; alter specialis.

§. 2. Generalis est, quo animal noxia & periculosa prævi-  
dere ac evitare; salutaria v. atq; sibi convenientia, persequi &  
assequi possit. Hinc quodlibet animalium, venientem fugit ho-  
stem, aut se præparat, ad defensionem sui. Alimenta quoq; & quæ  
vitam sustentare possunt, oculis primum investigat, quæ ubi obser-  
vavit, ad locum, qui ea continet, pergit.

§. 3.



§. 3. Specialis v. finis est Sapiencia conditoris, quæ in re-  
spectu quidem ad singula generum, & genera singulorum manife-  
stata est, in mira illa, nunquam satis de prædicanda oculi structura.  
Respectu hominis v. præter hunc, accedit contemplatio totius mun-  
di, omniumque, quæ in hac rerum immensâ universitate cernuntur.  
Idcirco DEUS,

Os homini sublime dedit, cælumq; tueri.

Iussit, & erectos ad sidera tollere vultus,

ut homo, quod sui muneris esset, observaret, Deoq; summam tri-  
bueret laudem, quam & nos E idem decernimus, nostramq; Di-  
sputationem, ubi prius à Benevolo Lectore, de omissis & commissis,  
veniam impetraverimus, finimus.

---

Ἐπίκλημα.

Admiratione dignum est, quod ex relatione Veterani Chirur-  
gi Monspeliensi, D. Formii refert *Borellus in Obs. Med. Phys. Cent. 2.*  
*Obs. 63. p. 160.* puerum namq; fuisse, in cuius iride oculi, hæc verba  
Gallica: LOVE SOIT DIEU, i. e. Laudatus sit DEUS,  
Logebantur.

F I N I S.



99 A 69 12

ULB Halle 3  
002 721 678



sb.

VD 17

Recht o. Konn.









Facto Auspicio Jesu Tuente

DISSERTATIONEM PHYSICAM

De

V I S U

Benevolo Inclytæ Facultatis

Philosophicæ

Indultu

In Illustri Academia Lipsiensi  
publicè ac placidè examinandam proponunt

P R A E S E S

M. FRIDR. AUGUST. JANUS,

Tychopol. Holfatus, S. S. Theol. Cultor.

Respondens

WOLFGANG Ruffner/Camentio-Lusat.

S. S. Theol. & Philos. Studios.

XVIII. Calend. Maj. Anno Ær. Christ.

M. DC. LXIX.

H. L. Q. C.

L I P S I Æ

Typis JOHANNIS GEORGI,



LIE  
mini  
acobi,  
aculo  
om  
re co  
in mo  
erunt  
magis  
, ne v  
e D  
estam  
e Chri  
s fue  
m in  
itus r  
am ef  
& di  
a vel  
ulerit  
i fuiff  
riori  
fram  
n ape  
& ho  
usa no  
um al  
Gen.  
idati  
ra v  
: nar  
milit  
s: cau  
ate

